



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Triapostolatvs Septemtrionis**

**Caesar, Philipp**

**Coloniæ Agrippinæ, 1642**

17. Quomodo Legationi suæ ad Gentes & ipse & per suos satisfecerit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43650**

dena millia Sanctorum citharædorum illibatae virginitatis in corpore, iniuiolatae veritatis in corde. Sequimini Agnum, quia & Agni caro utique virgo. Sequimini eum virginitate cordis & carnis, quoconque ierit. Quid est eum sequi, nisi imitari? de quo Beatus Petrus: Christus, inquit, Iesus passus est pro vobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius. Hanc Epistolam ideo hic posuimus, ut legentibus appareat, quantum, si. cut ammonet Apostolus, studium habuerit eius quæ secundum pietatem est doctrinæ, & quam potens fuerit in ipsa doctrina etiam alios exhortari,

## CAP V T XVII.

*Quomodo Legationi suæ ad Gentes & ipse & per suos satisfecerit.*

**P**RÆTEREA Legationis suæ officium, quod ad prædicandum Gentibus Verbum Dei primitus à decessore suo susceptum est, & postmodum sibi successionis iure quasi hereditarium prouenit, impigne exsecutus est, ipse quidem per se quoties occupationes aliæ finerent, eidem Legationi insistens, semper autem constitutos habens Presbyteros, per quos & verbum Dei Gentiles audirent, & solarium captiui Christiani haberent, ad Ecclesias inter ipsos paganos constitutas longè ab Ecclesia Sedis suæ, quodque grauissimum erat marinis descriminibus adeundas.

Quæ

Quæ discrimina ipse frequentius & abundanter sustinens, sœpè tanquam de se testabatur. Apostolus naufragium pertulit, sœpè in proximo erat, ut cum eodē dicere posset. Note & die in profundo maris fui. Sed profecto aderat ei Spiritus Sanctus, qui in exterioris hominis corruptione interiorem renouaret de die in diem, & spe futuræ beatitudinis omnia præsentis vitæ alpera deliniret, & grauia reuelaret. Consolabatur enim continua meditatione sermonis Apostolici. Quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Ac sic quæcunque fierent dura laboranti, mitescere solebant eadem propter Christum sustinenti.

## CAPUT XVIII.

Quomodo captiuos redemerit.

**A**D redemtionem captiuorum cunctis penè quæ habebat expensis, cùm multorum adhuc apud paganos detentorum miseriā cernere cogeretur, etiam Altaris vasa ad redemtionem eorum impendere non dubitauit. In quo dum quibusdam, minùs sublimiter intelligentibus, non rectè videretur fecisse, quasi ad alios usus redigeret quæ sacris erant deputata Mysterijs, & à quodam interrogatus fuisset, quare ita faceret? iustificatione sciscitanti satisfaciens: Non ignoro, inquit, res Ecclesiastici officij dignè esse trandandas,

S. Rimbertus etiā  
vasa sacra  
pro captiis  
Christianis  
liberandis  
impedit.